HIER. ALEANDRI IVNIORIS

EPICEDIVM

IN OBITVM ALDINÆ catellæ ſuæ feſtiuiſſimæ.

NAM quis te poſthac mentito nomine dicet
Lucinam, ſi lucem adimis, ſi munere vitæ
Expolias dignam æternùm vixiſſe catellam
Luſibus egregiam, & formæ præſtantis honore?
Illa vtero multùm conata excludere fœtus
Ah nimiùm nimiumq; graues, te Diua, tuamq;
Suſpirabat opem. ſed vota effuſa precéſque
Pectore de tacito ſurdâ tu reſpuis aure,
Vanáque veſanis tradis ludibria ventis.
Quis ferus inſedit cœleſtia pectora liuor,
Aut quæ ſæuities, vt ſiquid amabile, ſiquid
Eximium natura parens mortalibus ægris
Conceſsit, celeri rapiat mors improba morſu?
Quanquàm, oculis ipſam ni orbaßent numina Mortem,
Nunc ego nunc fruerer te viuâ, Aldina, tuiſque

Delicijs, ægro curas quæ corde fugabant;
Nam te illa aspiciens, tanto superata decore
Indomiti rigidas mollisset pectoris iras,
Nec celerata breuis secuisset stamina vitæ.
Crudeles diui: gelidis armata venenis
Ora gerunt angues, & tristia funera portant:
Hi senio tamen erepti, redeunte iuuentâ
Exuuijs vernant positis, numeróque carentes
Transmittunt annos: tu fida Aldina refulgens
Moribus innocuis, & pulchræ munere formæ,
Tàm celeri eriperis fato, dominúmque relinquis
Lugentem, & superos ac sidera dura vocantem,
Cùm nondum geminæ compleres tempora messis.
Succisus veluti curuo narcissus aratro,
Aut rosa nuper hians subitâ lacerata procellâ
Decidit, & folijs substratas purpurat herbas.
Heu quàm blanditiæ, quàm scitæ mira catellæ
Dexteritas morum, faciléſque ad ludicra gestus,
Quàm memori concinna animo nunc forma recursat,
Corporis & breuitas! etenim pede longior vno
Cùm vix illa foret, paruos decorauerat artus
Maior ab exiguâ surgens breuitate venustas.
Quid castigato vestigia ducta tenore,
Et penè ad numerum se crura mouentia narrem?
Quid caput argutum, & naris curuamen aduncæ,
Nigrantéſque oculos, multâ sed luce nitentes?
Ipse color, qualem sibi vellet Apollinis ales,
Aut Veneris currum solitæ ductare columbæ.
Sola renidebat maculis ceruicula fuluis

Et caput, & geminas pulchrè fuſcantibus aures.
At maculas ſummo trames diſcreuerat albus
Vertice decurrens: ceu quæ ſtellantis Olympi
Lactea cæruleos interſecat orbita campos.
Crura autem, atque aluus, pectúſque, & obeſula terga,
Colláque Riphæas poterant ſuperare pruinas,
Tantus erat candor. ſed longè Aldina nitebat
Candidiore fide. non, quamuis Iuppiter illam
Ambroſiæ ad menſas, promiſſa vocaſſet ad aſtra,
Deſeruiſſet herum. cuius ſi fortè cubantem
In gremio audebat quiſquam contingere, tantas
Dentibus exertis confertim ardebat in iras,
Non magis vt rapidi ferus æſtuet igne furoris,
Cùm leo venantum ſpiſsis circundatur haſtis.
  Quòd ſiquid cecidiſſet humi, ſeu mappula, ſiue
Exuuiæ manuum, calamúſve leuíſve libellus,
Protinus accurrens vel nullo Aldina vocante,
Oréque corripiens domino reddebat, & acri
Obtutu, ac motu caudæ, tremulóque ſuſurro
Præmia patrati poſcebat grata laboris,
Scilicet vt ſimo properaret ad oſcula rictu.
  Quanta autem fidum parendi gloria pectus
Complerat! ſiquis limen ſuaſiſſet herile
Deſerere, aut vetitum ſcalis deducere greſſum,
Blanditijs vrgens, mellitáque cruſtula præbens;
Illa verens dominum, præceptáque mente reuoluens
Ceſsim ibat, retrahénſque pedem feſtina petebat
Interiora domus, gannitu gaudia teſtans,
Quòd non victa fidem, quòd non temeraſſet amorem.

Cùm rigidas domini voces, cùm sæua timeret
Verbera, depresso perrepens corpore terram,
Et caudam pauitantem imo sub ventre recuruans,
Ac sensim accedens, sese tremebunda ferebat.
Mox leuiter crure elato, & ceruice reflexâ
Poscebat supplex veniam, quo blandula gestu
Effera vel diri lenisset corda Procustis.
Quis varios fando enumeret lusúsque iocósque,
Quos dominum oblectans iterare Aldina solebat
Mobilitate vigens, segnísque ignara quietis?
Nunquàm illi durum, nutus dùm seruat heriles,
Ire redire viam, iussósque subire labores.
Quin erecta bipes geminis insistere plantis
Sueuerat, ac fidei pignus protendere dextram,
Et simulare fugam, & celeri properare recursu.
Tùm morsu clemente petens digitósque manúsque
Ludentum, fremitu atque irâ feruebat inani.
Mox reuoluta solo, & vultu protensa supino
Mille dabat lusus. quid cùm vacua atria circum
Septenos rapidis expleret cursibus orbes?
Ceu sonipes, quem palmæ adigit generosa cupido,
Grandiáque Elei stimulant certamina campi,
Curuatis metam spatijs perstringere anhelat
Feruidus, & summam pedibus vix signat arenam.
Tum flexus sinuare vagos, tum scalpere terram
Docta pede, & crebro se tollere in aëra saltu.
Dein gyro leuiore citos glomerare rotatus,
Non secus atque celer puerilibus actus habenis
Per fora præcipiti rapitur vertigine turbo.

Illi etiam ludus fuerat perſæpe rotundam
Exercere pilam, celeri quæ lubrica lapſu,
Difficiliſque capi eluſo fugiebat ab ore
Figentis fruſtra dentes, iráque frementis.
Nec minùs & grandes ad ficta laceſſere gaudens
Bella canes, curſus varios, varióſque recurſus
Ignauas exoſa moras properanter inibat:
Vſque adeò viuax animabat ſpiritus artus.
Pectora nunc ſaltu ſuperans, atque ardua terga
Vnguibus vrgebat: nunc crura aut ilia morſu
Sollicitans, vires hoſtis reddebat inanes,
Non etenim vlla hoſti tunc reſpirare facultas.
Quòd ſi actum furijs, & gutturis antra videret
Laxantem contrà, ac vaſtâ ſe mole ferentem,
Illa cito leuis effugio, lapſúque doloſo
Corporis exigui rictum eludebat hiantem.
Nec mora, nec requies. rurſum inſtaurata ciebat
Prælia: ceſſantem crebris aſſultibus hoſtem
Vrgebat rurſum, ſinuoſos orbibus orbes
Implicitans, donec victum, & laſſata labore
Membra reclinantem molli vidiſſet in herbâ;
Ridente, & populi circùm mirante coronâ.
Interea ad dominum properans Aldina redibat
Partâ hilaris palmâ, & plauſu celebrata fauentum.
Sed quò tam dulces luſus, quò tanta repentè
Gaudia migrarunt? ferus abſtulit omnia turbo
Præcipitis fati, & nunquàm non inuida noſtris
Parca bonis, lacrymas tantùm gemitúſque relinquens.
Hei mihi qualis eras! quàm te pulcherrima rerum

Tùm niueus villi candor, tùm candor amoris,
Viuacésque oculi, ceruíxque erecta decebat!
Heu quid agant tenerum redimire monilia collum
Sueta olim, ac multo radiantia murice, & auro?
Heu quid agant, quæ tinnitus crepitacula dulces
Edebant, nunc muta silent? quid nexus vtrinque
Et gemmis decorans pendentes annulus aures?
Mollia quid faciant herbarum imitata colores
Stragula, quæ solita hibernum defendere frigus?
Quid texta alterno variatis ordine virgis
Cistula, vbi dulces gaudebas carpere somnos?
Te nunc amissâ languescere cuncta videntur,
Cuncta tui desiderio tabescere inani.
At mihi, cui non iam duro præcordia ferro
Vincta rigent, quem non cautes genuêre, feræve,
Cognita cui tanto par est iactura dolori,
Altiùs infixum viuit sub pectore vulnus,
Et iubet vndantes oculis effundere riuos.
Scitulus in vacuâ saltem mihi luderet aulâ,
Qui tener exierat maternâ Aldinulus aluo
Candidulam formâ referens, villóque parentem.
Verùm illum dulcis libantem exordia vitæ,
Ne super vlla forent raptæ solatia alumnæ,
Abstulit ah subitò duræ inclementia mortis.
Credo equidem miserum matris sensisse catellum
Languidulos gemitus, & vitæ proxima rumpi
Stamina: tunc vltrò dulces renuisse papillas
Sugere: tunc vltrò extremas quæsisse tenebras.
Ipsa autem duplici genitrix cruciata dolore,

Infelix

Infelix genitrix velocia fata laceßit,
Dum nato superesse timet: mox luminis oras,
Et iubar inuisum Solis miseranda relinquit.
Quò properas Aldina? tui quid deseris ora
Dilecti quondam Domini, cui tristia posthac
Te sine labentur funesta tempora vitæ?
Ille quidem, vt nigri eriperet te faucibus Orci,
Nil intentatum liquit, nil liquit inausum,
Quod fieri ferro, poterátve salubribus herbis.
Sed nec te circùm vigilans noctésque diésque
Profuit aßiduo famulatrix turba labore;
Nec medicæ iuuêre manus, nec Pæonis artes:
Non ægræ fomenta alui, concretáve myrrhæ
Gutta, aut Cretæâ veniens dictamus ab Idâ.
Omnia vis fati violentior irrita fecit.
Quod superest, quando sic dij voluêre, gementes
Soluimus inferias tibi parua Aldina, vocatis
Flebile ad officium lugubri voce Camœnis.
Vt tua post obitum (si quà pote) fama superstes
Emicet, & viuax longos florescat in annos.
O si te, fatum miserans Barclaius acerbum,
Pieridum Barclaius amor, Charitumq́; voluptas,
Inserat æternis victuro carmine chartis!
Non Lethea tuum mergent obliuia nomen,
Nec te lucidior superâ splendescet ab arce
Ascribi ǽthereis dignata Canicula gyris:
Illa licèt multo gemmatum sidere tergus
Ostentet, totumq́; ignes iaculetur in orbem.

IOANNIS BARCLAII.
In Aldinæ mortem.

Occidit. Exequias pulchræ celebrate catellæ.
Occidit ante suum pulchra Catella diem.
Ipse facem mæsto Canis Erigoneius imbre
Condat, & attonitis terreat astra sonis.
Plangere scit, meminítque suæ lacrymabile murmur
Erigones, patrios cùm stetit ante rogos.
Dura Venus, quam non pariens Aldina gemendo
Flexit, & Aldinæ sic parientis herus!
An quia Phœbæis nemo est acceptior aris,
Inuidiam Veneris, Solis alumne, luis?
Aldinámque tuam (ius in te haud maius habebat)
Vltrici rapuit diua seuera manu?
Plangite sub tenero vulsæ certamine chartæ,
Quas aufert domino blanda Catella suo;
Et toties paruo repetita cubilia cursu,
Dum quærit vetitas illa fugítque fores.
Plangite nunc mutæ sedes, nunc strata, focíque,
Et quicquid viduum functa catella facit.
Vos solæ gaudete niues: Nil vellere vestro
Candidius post hæc funera portat humus.

ALEXANDRI POLLINI.

Ergo illa dulcis, illa multùm amabilis,
Illa albula, illa delicata, illa innocens

Catella vixit? & tulêre numina,
Tua Aleander interire gaudia?
Nec vlla castis inuocata versibus
Lucina præsens, heu nefas, laboribus
Periclitantis affuit puerperæ?
Nec ipsa, dudum cuius ignem acceperat
Subblandientis acta vi Cupidinis,
Iniuriosa fata Cypris reppulit?
Verùm querelis quid fatigamus deos?
Summum deorum facta crimen conqueri.
Nempe, & quis hoc non credat? alma cælitum
Venus voluptas, alma pulchritudinis
Dea, vt puellis vsquequaque blandula
Catella sueuit aßidere bellulis,
Habere & ipsa concupiuit candidam,
Quicum iocosa lusitet, caniculam.
Nulla at peractis procreata sæculis
Amore digna cælitum canicula est.
Modò ista amori destinata Cypridis
Aldina vênit bella in auras luminis.
Sibi hanc repentè visam diua surripit,
Quâ nulla posthac pulchrior videbitur.
Quare, Aleander mi, dolere desine.
Ne tu occidisse crede, quam desideras,
Fallacis vmbram dùm vides imaginis.
Quin gaude, & vltrò gratus offer muneri
Diuæ, lepôres quæ tibi dedit suos.
Quæ nunc magis, magisque amica permanet
Tibi, venustatémque & omnem cælitum

Pro munere isto oppignerauit gratiam.

LAVRENTII PIGNORII.

Aldinę prosopopœia ad dominum suum.

QVæ fueram inuidiæ superis Aldina Catella,
E tumulo æternis excita carminibus,
Dulcis here ecce adsum, atque libens cara ora reuiso,
Et repeto teneras obuia blanditias.
Tu fata heu dura incusas, fata aspera, fata
Ausa tuas Orco prodere delicias.
Mi sanè haud valde est quod conquerar, aurea quando
Limina vti obseruem, furuula Persephone
Me sibi constituit famulam, valdè inuida opinor,
Quòd cælo vsque canis fulgeat Erigones.
Hoc tibi sit dictum, cui laus studiúmque silere est,
Quidquid rimosis diffluit auriculis.
Excidit arcanum inuitæ, veniámque reposco,
Ne excipias tristi hæc verba supercilio.
Nec verò illa tuis meritis infensa, grauisque
(Quippe eius scriptis Orgia concelebras)
Iniecit violenta manus, sed stamina Parcæ
Dissecuêre atris candida forcipibus.
Parcæ summũ etiam diuûmque hominúmque parẽtem,
Quis credat? magno numine terrificant.
Stulta ego, quæ faciles credebam parcere Parcas;
Verùm experta adeò parcere difficiles.

Imputat ipsa etiam Parcis, quòd regna silentum
Obtinuit læuo tristia connubio.
Nec se adiuuisse intentum Latoidos arcum,
Gorgona nec toruam Palladis armisonæ.
Hæc mihi sæpe refert vni, lacrymánsque geménsque,
Ter quater interea se miseram ingeminans.
Fata aliò abripuêre illam, Cererísque Iouísque
Progeniem, & cunctos vrere cælicolas
Formâ aptam. ánne diu gelidæ inclementia mortis
Meme vesci auris parceret æthereis?
Hæc tibi sit rapidi præsens medicina doloris,
Vsque modis qui te tristibus excruciat.
Æstimat hæc mea verba dolens Proserpina tanti,
Quanti fortè suos atque animum atque oculos.
Sæpiùs illa mihi hoc iactat, iurátque aliquando,
Me sibi penè omnem demere amariciem.
Me reparasse sibi Cyanen, Dryadésque sorores,
Nec se vnquàm Aldinâ posse carere diu.
Hoc vult illa tuis tamen indulgere Camœnis,
Vt valeam vestras ire redire vias.
Hinc adsum, atque adero. tu longùm pectora serues
Discupio nostris insita pectoribus.
Néue sinum obsideant alieni protinus ignes,
Queis Aldina leues corruat in cineres.
Ah valeat quisquis primos exhaurit amores,
Vt liceat Lethes mergere gurgitibus.
Ille vllam nec amet prauus, nec ametur ab vllâ,
Síntque eius cunctis nomina ludibrio.
At te, dulce caput, nequaquàm hæc crimina tangunt,

Nuda etiam qui horres nomina perfidiæ.
Quin immò & flammas lacrymis testaris abundè,
Exprimis atque ipsam penè animam gemitu.
Tu pius ô claras facundi carminis artes
Da tumulo nostro, non gemitum, & lacrymas.
Quod tu absoluisti, cari hoc imitentur amici,
Qui studiis ornant sæcula Pieriis.
Hoc sibi poscit hera, vt vatum studiosa piorum;
Et verò ipsa meis laudibus afficitur.
Inde erit, vt Dominæ custos pia regna reuisam,
Discurrámque amplo notior Elysio.
Lesbia me cupiet, me pulchra optabit Ianthis,
Spectabunt me aliæ lumine liuidulo.
Quòd dominam appellem parcas: sic more receptum est:
Hoc illa à nobis exigit obsequium.
Cetera sum quæ olim, nec me vis vlla reuellet:
Tu nosti Aldinæ candidulum ingenium.
Nec plura, & forsan tua sum sermone morata
Tempora, quem nimio detinui alloquio.
Parce oro, hoc totum ius fásque indulget amanti:
Fata mihi indulgent exiguam morulam.
Hinc abeo reditura, iterúmque iterúmque valere
Te iubeo, & menti hæc indere perpetuúm.
Sim tua, túque meus; dulcésque è pectore curas
Vellere nulla ausint temporis arbitria.

NICOLAI VILLANII.

EHeu te miseri catella fati,
Annos cui scidit Atropos virentes,
Et lucis teneras ademit oras,
Et, quod est magis & magis dolendum,
Cari blanditias heri, iocósque,
Multa & millia basiationum,
Et fractos lepidæ sonos loquelæ,
Plausúsque, & veneres amoris omnes.
Queis pro nunc inamabiles profundi
Succedis tenebras misella Ditis:
Viuásque Eumenidum comas sororum,
Et tripectoris intuens ter ampla
Ora Geryonæ, horridámque Echidnam,
Latratu & Styga Cerberum trifauci
Terrentem, gelido pauore torpes.
Submitténsque latusculum tenellum,
Respectas tremebunda identidem, si
Fortè vsquam facies herilis adsit,
Dilectæ auxilium ferens catellæ.
Ast ille assiduo genas dolore
Humectat miser, & superba fata
Poscens te vocat impotente voce.
Nec frustra. Libitinæ acerba iura
Tu namque effugies, nigrísque adempta.
Lethes fluctibus ora per virorum

Viues perpetuo ſuperſtes æuo.
Quando te tuus Aleander, ingens
Muſarum decus, & decus lepôrum,
Tollit ſuauidico ſub aſtra cantu.
Qualis nec rapidi retorſit vndas
Hebri, ſollicitas neque egit ornos,
Nec iuſsit celeres mouere greſſus,
Atque in concilium coire ſaxa.
O felix ter, & ampliùs catella,
Cui tantæ iubar inuidere laudis
Canis iam meditatur illa, campos
Quæ largo ætherios inundat igni,
Et quotquot liquidas poli per auras
Æternos glomerant faces volatus.
Quæ iam purpurei domos olympi
Commutare tuis velint tenebris,
O felix ter, & ampliùs catella.

FRANCISCI ROGERII.

BEllatoris equi iuuit te funera quondam
Duxiſſe ô Macedûm fortiſsime ductor, vt altè
Oſsibus impoſitam fundares deſuper vrbem
Nomine Bucephali claram, æternóque ſepulchro.
Maxima quin Agragas vbi mœnia tollit olympo,
Pyramidas tumulis Sol adſpectauit equorum
Impoſitas paſsim, ſua ne miracula reges
Delectent Pharios operosâ ingentia mole,

Porten-

Portentosa truci ridenda superbia morti;
Aut ne Trinacriæ memoretur sola gigantis
Enceladi simul Ætna rogo, simul inclita busto.
Quid moror in paruis? quæ funera nulla Quirino,
Penè triumphales celebrauit Roma perempto
Exequias coruo, sua quem facundia gratum
Reddiderat plebi, & magno exæquarat honore
Illis vulturibus, quas viderat arce Palatî
Auspicium felix æternæ conditor Vrbis,
Terrarum dominas quæ mox peperêre volucres,
Numina iuratis legionibus vnica quondam.
In Rostris Corui multos audita per annos
Lingua salutatrix Augusto grata secundo,
Illis in Rostris, in quæ conscendere summis
Ius dabat imperiis Romani purpura honoris:
In quibus eloquio Ciceronem Roma tonantem,
Aureáque inuictâ vibrantem fulmina linguâ
Audierat, columen patriæ, lucémque senatus.
Atratæ fleuêre Tribus, periisse disertæ
Alitis ingenium. duo tum subiêre pheretrum
Æthiopes humeris, præmissæq; ordine longo
Omnigenæ exanimi fulserunt dona coronæ.
Nec Iouis armigeras puduit, Martísque superbi
Romanas aquilas corui præcedere funus.
Nos Aldina tibi magna hæc exempla sequuti
Dicimus extinctæ (reor) haud ignobile carmen,
Nec frustrà domini mœstum solamur amorem.
Prima catellarum tu gloria, funere coruo
Si cedis, vitæ superasti laude columbas.

C

Sed neque funeribus cedas. Aldina ſupremas
En petit exequias, doctæ properate Sorores:
Perluat exanimem veſtris è fontibus vnda,
Quæ viuam famæ reddat, totóque volantem
Orbe: ſimul domini claros æternet honores.
Mos eſt virginibus blandas adamare catellas;
Nempe ſolebatis viuam quoque ferre ſubinde
Aldinam gremio: nec enim domus altera veſtro
Gratior vlla choro, quàm quæ ſibi Palladis altum
Præſcriptura decus monſtratur ab indice famâ
Externis, felixque Aleandro vate ſuperbit.
Hîc ſolet inſomnes ſtudiis traducere noctes,
Aſpiciat donec vigiles Aurora lucernas,
Ipſum Palladio ſuperant quæ lumine Solem.
Inde viro magni lux nominis orta refulſit,
Et viridem laurum ardentes peperiſtis oliuæ.
Ah dolor, ah quoties illo vigilante cubabat
Non procul Aldina in molli molliſsima plumâ;
Et placidos leni proflabat pectore ſomnos.
Hoc etiam pulchram decuit, motúſque per omnes
Plurima quæ fulſit, ſomno vigilabat in ipſo
Gratia, nec vitâ ſpoliatos deſerit artus.
Funereo nunc ecce rogo compoſta quiete
Heu nimium durâ premitur, ſomnóque perenni
Tradidit immeritam Stygiis Lucina tenebris,
Non bene functa ſuo quæ munere perdidit omnem
Spem generis natis vnà cum matre peremptis.
Ægræ ſiquis erat ſenſus, cùm fata vocarent
Triſtia, & extremus premeret iam languor ocellos,

Plus doluit, quàm morte suâ, quòd nulla superstes
Pulchella è pulchro proles suscepta marito,
Aldinam viuens quæ circumferret imago,
Et solaretur vacuos pro matre penates.
Attamen insigni nobis sub imagine viuet
Musarum depicta manu, quæ luce nitescet
Diues Apollineâ toto spectabilis æuo.
An genus & patriam memorem? niue candida multâ
Gallica natalis testatur sidera cœli.
Illinc Erigones delapsam forsitan alto
A Cane quis credat, formoso corpore tantùm
Præstabat cunctis felix Aldina catellis.
Me tamen id placidi vetuerunt credere mores,
Et vitæ iucunda quies, quam fellis amari
Turbarat nunquam rabies liuoribus vllis.
Norat blanditias omnes, artémque placendi
Naturâ per mille modos monstrante tenebat.
Semper adhærebat lateri; non ædibus vllus
Vernula tam intentus nutum spectabat herilem.
Absentis desiderio quoque mæsta gemebat,
Differret reditum si fortè diutiùs æquo,
Ducebátque imo suspiria corde, nec vllæ
Deliciæ, aut epulæ poterant lenire dolorem.
Quòd si languenti iamdudum, ac multa querenti
Sperantíque parum, tandem improuisus adesset,
Tùm verò exiliens occurrere prima solebat,
Adsultúque instans alacri, quasi & oscula vellet
Et petere amplexus, vocem attollebat in auras
Optatum ob reditum domino gratata, sibique;

Ridentémque oculis afflabant gaudia lucem.
Attollique manu domini, gremióque reponi
Olli perpetua ambitio: tam læta cubasset
Purpureo non illa toro, niueíque superbâ
Anseris in plumâ contexto molliter auro
Constratâ. hic solitus furuis placidißimus alis
Amplecti somnus dulcis post munera mensæ
A domini mage grata manu. non illa voraci
Ingluuie; libare dapes, libare solebat
Pocula, Nile tuam vt cùm vix canis ausus anhelans
Lambit aquam, celeríque fugâ se præripit hosti,
Tempus & insidiis iterum inuasurus amatam
Quam modò fugit aquam: alternis ceßisse timori
Docta sitis, docilésque siti ceßisse timores.
Id pudor Aldinæ suadebat, quod metus illi
Imperat: ingenuam hi mores decuêre catellam.
Regia sic virgo, quanquàm sitis aspera sæuit,
Imperiosa sibi haud pleno se proluit auro,
Sed moderata sitim cunctatrix porrigit olli
Pocula maiestas, laticum & prælibat honorem.
Post epulas gemmásve suas, hortósve reuisit,
Mirè deliciis cultos regalibus hortos.
At breuis Aldinæ mediæ sub tempora lucis
Somnus erat domini in gremio: lusúsque iocique
Inde experrectæ: celeríque cubilia passu
Percurrens acri vigilabat ad omnia sensu.
Præcipuè igniculus generosæ viuidus iræ,
Ignotæ vocis cùm flatu agitatus ab omni
Surgeret, angustum quatiebat pectus anhelo

Latratu, foribúſque adſtans excibat eodem
Et famulos. ſi parua licet componere magnis,
Non aliter ſummæ qui peruigil excubat arcis
In ſpeculâ (mediâ quamuis in pace) ſilenti
Si ſtrepitum ſub nocte aliquem, armorúmque tumultũ
Audiit, exclamans vigilare in bella cohortes
Hortatur, ſignúmque tubâ dat protinus vrbi.
Nempe canes etiam dominorum iuſſa ſequuti
(Si qua fides priſcis annalibus) effera quondam
Prælia tentarunt memori notiſsima famæ.
Cimbrica diluuies armorum fluctibus altam
Obruerat penè Italiam, populúſque gigantum
Seſe præcipitans de culminibus Alpinis,
Dum niuium aggeribus cœlo propiora minantur,
Venerat in campos, Atheſis quos flumine amœno
Irrigat: hunc clypeis vt ſuſtentare ruentem
Tentarunt fruſtra, manibúſque auertere aquarnm
Ingentem molem, congeſtis vndique ſiluis
Protinus obruerunt, ac tranſiuêre ſuperbi.
Obuius inſtructis Marius legionibus ollis,
Quantùm barbarico virtus Romana furori
Præſtaret, docuit: bis centum millibus vnâ
Tum cæſis acie Marti erexêre trophæa
Congerie armorum, vaſtíſque immania truncis;
Et Romanus iô, & iô cecinêre Latini,
Victricémque ſitim fluuio immersêre cruentô.
Caſtra ſuperfuerant denſis circumdata plauſtris:
Hîc noua ſeſe acies offert, nam Cimbrica caſtra
Defendêre canes, atque horriſono vlulatu

Vulnera temnentes, vibrataque tela, supremo
In casu tenuêre fidem. mirantibus ipsis
Romanis laudata canum virtúsque fidésque.
O Capitolino quondam vicina Tonanti
Alma Fides, tu hominum commercia respicis æquis
Candida luminibus: tu verba fugacia sistis,
Per te pondus habent: iurandi vincula iuris
Circumdas animis inuicto adamantina nexu.
Te dea ritè colunt vrbes, te maxima regna,
Quæcumque Astrææ sub amico sidere viuunt,
Queis non tàm gemmis, quàm lumine ditis honesti
Contemptúque auri fulgent magis aurea sceptra.
Tu custos recti sceleratam fulmine terres
Perfidiam, & vindex periuris regibus instas,
Ac tua purpureos vexat censura latrones.
Te dea, te Mauors, & te Bellona verentur,
Inter & arma, duces atque inter nuncia curris,
Perpetuámque agitas pacem sub pace sequestrâ.
Roma tibi sedes quondam, tibi Curia templum,
Atque sacerdotes totidem, quot magna Quirino
Lumina consilij fuerant, regésque togati,
Quæ tua vis, quantum feriat periuria fulmen,
Dilapsæ in cineres altæ Carthaginis arces
Testantur: non tu lueres gens perfida tandem
Æternas toties violato fœdere pœnas?
Non pudet humano Fidei sub pectore nullum
Esse locum? tacitè subiit vel bruta ferarum
Corda Fides. nec opus nemorum excußisse latebras,
Cursitat in laribus nostris canis, & modò caudam

Motat adulator, mensæq; adsistit herili,
Et modò latratu nocturno furibus instat,
Fidum animal domino, sensúsque capacius alti:
Nempe feras, hominémque luto cùm finxit eodem
Natura, ac terræ diuinam admiscuit auram,
Imperiúmque simul dedit in genus omne animantum,
Nonnulla ex istis, dum ludit, imagine quadam
Mentis honestauit, tenui rationis & vmbrâ
Immortalem animi simulauit callida lucem.
Nos in deliciis, & nos in amoribus olli
Artifici rerum æterno, mundíque parenti.
Inde hominum generi famulantia cernimus astra,
Et Solem, variis mundum qui temperat horis,
Terrásque, vndásque, & cæli spirabilis auram,
Quæq; latent siluis animalia, quæq; sub alto
Proteus Oceano latè stabulantia pascit.
Inde sagax animal laribus custodia nostris
Perpetuò aduigilat, quo non propioribus vllum
Sensibus humanæ tetigit confinia mentis.
A cane non puduit Cynicos sibi sumere nomen:
Cur pudeat? Vatum quoties fera corda premendo
Vis maior fingit, lymphatáque pectora numen,
Quo minùs ipsa sui meminerunt, hoc magis aptat
Motibus æthereis, magnæq; capacia mentis
Reddit, & æternâ dat tempora luce tueri
Quid ventura ferant, fatíque volumina pandit;
Humano maiora sono tum carmina fundunt,
Nec multùm dispar latratibus insonat altè
Vox reboans, & vera adytis oracula mittit.

Palladis in templis, ipsóque in vertice diuæ
Terribiles inter cristas cùm tetra sederet
Noctua & adstantis flagrarent ora draconis,
Cur procul inde canem vos exclusistis Athenæ?
Non illum diuina suo sapientia templo
Arcuit: ætherio iussit radiare theatro
Æstiferâ luce, ac stellis ardentibus aptum.
Illius exortu non curru excussus ab alto
Expirans Phaëthon transfixo è pectore flammas
Incidet Eridani latè fumantibus vndis.
Ipsa videbuntur freta feruescentia Solem
Excepisse sinu: vim sentiet arida tellus:
Languescent æstu magno nemora alta feræq́;:
Solus at instinctu naturæ Ægyptius orix
Aspicit exoriens, & amatum sidus adorat.
Magna sed Aldinæ hinc duri solatia fati:
Ipse etiam æthereus canis occidet: annuus illi
Nec tantùm interitus (quis crederet?) & sua cælum
Fata manent: suprema dies cùm venerit orbi,
Forsitan æstiua cælum statione manebit
Immotum: hinc toto surgent incendia mundo,
Sidereúsque Canis moriens flagrabit eodem
Quo rerum natura rogo, commune sepulchrum
Vnum ambobus erit, quod continet omnia cælum,
Supra quod nihil est nisi lux immensa Tonantis.
Nunc genus humanum venturæ præscia flammæ
Stella monet, magnáque siti violentior annum
Dum premit igniuomis afflans latratibus orbem,
Extremos cogit semper meminisse furores.

Non

Non aliter Siculo notißima monstra profundo
Scyllæi primâ nascentis origine mundi
Latrauêre canes, ne se furor impius alto
Committens pelago per sæuas curreret vndas,
Per freta tam multis scopulorum horrentia saxis,
Ludibrium ventis, iratæ præda procellæ.
Latrauêre tamen frustra, rabiémque vomentes
Efficiunt salsum spumis feruentibus æquor:
Per salis immensi præceps audacia campos
Tendit iter, nec adhuc sapiunt mortalia corda,
Tantus auaritiam stimulat furor. heu fera pestis,
Quæ tibi naturæ pars intentata? sub altos
Descendis montes, terraq́; in viscera cæcum
Pandis iter tu cæca magis. fulgoribus auri
Centum oculos aperis ipso vigilantior Argo,
Non raró sed lucem auri dum perdita quæris,
Lucem amisisti Solis, mortísque ruinâ
Aurifero improbitas iacuit tumulata sepulchro.
Tum breuiore viâ Plutonis ad horrida regna
Eluctantem animam rapuistis Erinnyes atræ.
Cerberus horrendo venienti occurrit hiatu,
Latratu qui sæpe truci quatit abdita terræ
Fundamenta, suísque emotas sedibus vrbes
Terret, vt absistant scelere, & gens immemor æqui
Differat in seram ne admissa piacula mortem.
Illius extorques Hieronyme faucibus atris
Aldinam, & memori sacras doctißimus æuo
Romanâ fretus cithara, fidibúsque Latinis.
Pugnaces alÿ poterunt celebrare molossos,

Spartanósque canes, aut quos fera Cyrnus atroci
Tristitiâ dedit horribiles, oculísque cruentis:
Venantum comites poterunt percurrere siluas,
Dianæ vt spectent acies, Martémque ferarum
Sanguine gaudentem humano proludere bello.
Hîc etiam casus memorandos, horrida bella
Viderit hîc aliquis, quæq́ admirantibus ipse
Differat admirans. non semper Græcia mendax.
India Pellæis dum debellanda sarißis
Horret Alexandrum, atque oculis mortalibus alti
Deprendi metuunt aurata cubilia Solis,
Rex Albane canem ingenti se mole ferentem
Æmathio mittis Regi haud ignobile donum.
Captus hic insigni specie iubet ocyùs vrsum,
Mox & aprum, damam postremò è carcere mitti:
Contemptu iacet ille immobilis, & grauis hæret.
Regem cùm tantæ offendisset inertia molis,
Imperat interimi. Albano quod fama tyranno
Nunciat: en alium mittit, mandata sed addit,
Regia ne in paruis hunc experientia tentet,
Sed vel magnanimo velit opposuisse leoni,
Vel potiùs iustum commiserit hostem elephanto.
Distulit ille nihil: generoso dente leonem
Protinus & mediâ prostratum vidit arenâ.
Mox ingens elephas campis inductus. ad illud
Spectaclum exiluit villis horrentibus asper,
Et sæuo intonuit latratu animosus, & hosti
Ingruit assultans, atque hinc inuadit, & illinc,
Donec fulmineâ vertigine sæpe rotatum

Afflixit. casu tellus concussa tremiscit:
Victori Macedûm inuictæ plausêre phalanges,
Tantus amor palmæ, & bellandi gloria Magno
Coram Rege cani pugnaces arsit in iras.
Ille orbis domitor canis ad certamina miles
Hæsit: Alexander sese spectauit in illo,
Cùm ducis inuicti præstaret bellua mores,
Et minor ingentem validè prosterneret hostem.
Non ea vis animo, non hæc ad munera fortis
Militiæ natas sese nouêre catellæ.
Blandiri norat morsu, non frangere prædam
Aldina, & domini cùm veneraretur amorem,
Prætulit excultam siluis horrentibus vrbem.
En eadem ingentem venatur mortua famam.
Latrabat viuens, at nunc Aleandre loquetur
Ingenio facunda tuo: fortasse loquetur
Ingenio facunda meo. quæ viua fugaci
Nec lepori ausa foret, pauidæve occurrere damæ,
Mortua, carminibus nostris vbi sumpserit alas,
Alta per ætherios errabit splendida campos:
Vincet vtrumque canem: dicetur tertia cælo
Maxima: par aquilæ decurrens præpete pennâ
Quam semel in mundi felix apprenderit arce,
Æternùm propriam teneat sibi mordicus Vrsam.

M. ANTONII ROMITI.

DIxerit Aldinam quísnam periisse catellam,
Quæ domini viuat carmine dicta sui?

Scilicet ille potis cautes animare camœnis,
Temporis & volucri ponere iura fugæ.
Ne pereat periit, mortémque Aldinula morte
Lusit, & inferni guttura nigra canis.
Non Aldina tibi contendat Sirius, olim
Terris, nunc cœlo deliciæ Erigones.
Innumeris enim cadit ille occasibus: at tu
Traduces æuum viuida inoccuduum.

EIVSDEM.

LVsibus arcebas domini tu pectore curas,
Latratu fures viua catella domo.
Victuris genium das nunc defuncta libellis,
Et tenebris ipsam te dominúmque rapis.
O miros blandæ lusus! mortalia viuens,
Victura at moriens mira catella facit.

EIVSDEM.

ALdinâ æthereos orbes subeunte catellâ,
Hanc sibi certatim sidera cuncta petunt.
Interea trepido miscetur murmure cœlum,
Præliáque accensis ignibus astra cient.
At pater astrorum litem sedauit Apollo,
Dum catus Aldinam vindicat ipse sibi.
Iure illi magnus cœlo dominetur Apollo,
Quæ dominum terris liquit Apollineum.

EIVSDEM.

Mitte Aleandre tuæ fatum lugere catellæ.
Non illam Ditis tristia regna tenent:
Aurea sed rutilans inter nunc excubat astra,
Cura pharetrati deliciæq́ Dei.
Hanc legit, toties repetitæ vt tædia Phœbus
Obliquæ posset fallere longa viæ.
Ludentémque sinu diui, currúque videres,
Obruta ni radiis lumina cæcutiant.

MARTINI SANDELII.

Faucibus ex Orci reuocas, atque inseris astris
Versibus Aldinam docte Aleandre tuis.
Orpheus inuideat, fata indulsisse catellæ,
Quod quondam Eurydice non tribuêre suæ.

BENEDICTI MILANII.

Occidit ante diem domini festiua voluptas,
Et desiderium dulce catella domûs.
Grata domûs Aldina quies, genialis amorum
Congeries, blandi blanda medulla ioci.
Mitis amabilitas, lusúsque, Venúsque Charísque,

Aulæ delicium, quadrupedúmque decus.
Nobile curarum solamen, & vna laborum
Illecebræ docti blanditiæq; chori.
Quam non mille suis superasset dædala nugis
Ipsa tenax domini cura dolórque sui.
Ipsa puellarum teneris prælata cateruis,
Artificis facili viuere iussa manu.
Non quotquot curuo Melite circumflua ponto
Mittit ab æquoreis insula diues aquis.
Agmina natiuo non despicienda lepôre,
Arte suâ Latias docta tenere nurus.
At me facundi casus conturbat amici,
Oráque mœrenti pressa dolore mouent.
Scilicet ingenuos Aleander culte per vsus
Ocia nunc magnæ mentis adempta tibi.
Nec quæ corda leuet vigilantibus anxia curis,
Nec quæ animi posthac tristia laxet, adest.
Hæc tibi, dum grauibus iuuat impallescere chartis,
Et post Musarum seria ludus erat.
Palladis à stadio, Phœbíque à gymnade fesso
Laxamenta domi non onerosa dabat.
Hi fuerant alacres post tædia longa recursus,
Gratus hic à nimii tetricitate iocus.
Puluere seu Graio, Latiáve grauatus arenâ,
Fas erat hîc fessæ ponere mentis onus.
Siue per arcanas amor est excurrere causas,
Et rerum tacitum peruolitare Chaos:
Desidiæ hîc dulces oblectamenta laborum,
Certáque ab excubiis & bene nota quies.

Nam quid ego formæ referam candentis honores,
Quæ potis intactas exuperare niues?
Quid faciles catulæ mores, nutúsque loquaces,
Gaudiáque à tenero nata lepôre canam?
Et breuis, & paruâ fuerat spectanda figurâ:
At non parua fuit corpore dexteritas.
Scita vel innumeros errare licenter in orbes,
Mobilis & crebras ire redire vias.
Qualis in ambiguos Mæander voluitur æstus,
Obuius & refluis vsque recurrit aquis.
Nec minùs obliquæ sinuosa volumina caudæ,
Nec minùs illecebras ora tulêre suas.
Seu linguâ lambat, seu præbeat oscula rictu,
Siue exarmato prælia dente ferat:
Aut cùm centenos ceruicem flectit in vsus,
Et paruâ lusus indole mille parit.
Non fuit ad vocem, nutúmque fidelior vnquam,
Nec magis in dominos obsequiosus amor.
Iámque bis algentes numerauerat illa pruinas,
Et bis Acidaliam viderat illa rosam.
Cùm tenerum reparare genus, stirpísque caducæ
Propagare nouo pignore sæcla paras.
Viuat vt in natis candens Aldina futuris,
Lætifico iungit fœdere blandus hymen.
Iámque puerperium letales nunciat horas,
Nec datur exigui reddere ventris onus.
Arcta nimis grandi turgentia viscera mole
Diuitias nequeunt exonerare suas.
Adfuit & Clariâ spectatus laude Melampus,

Quique Machaoniâ primus in arte viget.
Et sua Phillyrides promit medicamina Chiron,
In sua queis redeat membra vocata salus.
Creteâ properat florens dictamus ab Idâ,
Et quæ Dardanio gramina monte virent.
Ipse peregrinos angor scrutatur odores
Siue tuos Myrrhe, seu Panacea tuos.
Bellua si formâ, si motibus apta venustis
Te potuit propriis ægra mouere malis:
Artibus ingenuis florens, virtutis alumnus
Ex istâ qualem mente tulisset opem?
Hæc placidos animi mores, & amabile pectus,
Rebus & in dubiis auxiliare notant.
Laxiùs indulgens mentis monumenta benignæ
Casibus humanis exhibiturus eras.
Quid medicina potens munita salubribus herbis,
Quid fomenta iuuant? viuere fata vetant.
Tollere funestos renuit Lucina dolores,
Funere finitur præueniente dolor.
Occidis, & magnos turbas Aldina penates,
Et iocus, & lusus te pereunte perit.
At non tota cadis, mansuro carmine viuis,
Te dominus celebrem docta per ora facit.
Eximit è sæuo te turba poëtica leto,
Et tibi dat serâ posteritate frui.
Viuis, & arguto te passere fama Catulli
Post tua maiorem dicere fata velit.
Non ita Erythrei celebrantur clara volucris
Funera, Peligni nobile vatis opus.

Ille salutator per rostra sonantia coruus,
Laudibus inuênit busta minora tuis.
Vrna tibi melior numeris concessa disertis,
Quàm non & sonipes Cæsarianus habet:
Quàm data Pellæo, qui præter herilia dorso
Nullius admisit fortia membra ducis.
Illa minùs dulci lucis viduata nitore
Flagrat honoratis turba Molossa rogis.
Quod superest, tumuli scribatur in aggere nomen,
Litteráque impositis indicet ossa notis.
Conditur hîc fatis Aldina perempta supremis.
Alba fuit villo, sed magis alba fide.

EIVSDEM.

Difficili fœtus dum nititur edere partu,
Et graue maturi ponere ventris onus:
Vicinâ sub morte gemens Aldina laborat,
Auxiliatrices flagitat vsque manus.
Funereâ prodit tandem prærepta procellâ
Parte vtero proles edita, parte latens.
Sic perit infelix, cui præsens ferre salutem
Dum Lucina parat, fert Libitina necem.

VALENTINI PASCHALII.

Cvi non chara, & amabilis catella
Aldina? illa catella, quâ caninam

Inter progeniem, venuſtiorem
Non vſquàm retroacta vidit ætas?
Illa, quæ domino ſuo Aleandro
Sola eſt delicium, iocus, voluptas?
His quando ebria ludicris catella
Geſtit, curſitat hinc, & hinc recurſat:
In pedes modò ſe erigit, bipéſque
Incedit: modò reptat, allatrátque,
Vt totum domicilium petulcæ
Vnius baubatibus fatiſcat;
Et riſum moueat, ſeueriores
Et curas abigat; remittat ipſis
Vel ſupercilium Catonianis.
Catellæ dominum rogant ſodales,
Huius ne ſinat interire ſemen,
Verùm ex hac ſobolem ſibi propaget,
Ducátque inde coloniam peramplam.
Indulgentior Aleander omni
Indulgentiâ, & omnibus benignus,
Aldinæ, lepidis ſodalibúſque
Indulgens adeò eſt, & eſt benignus,
Vt, iuſto ſimul atque deperire
Hanc deſiderio maris notauit,
Delectum è Melite inſulâ catellum
Vel quauis prece præmióve quouis
Admittat miſeræ catullienti.
Admiſſarius exilit catellâ
Visâ: non minùs exilit catella:
Sibi blanditiis iocíſque plaudunt:

Luctantur simul, atque morsicatim
Excerpunt sibi basiationes.
Quid plura? in Venerem ruunt amantes.
Hæc adstat, salit ille, & ambo blando
Rictu, atque illecebris student ligari.
Hinc impletur, & hinc catella faustè
Toto gestat vterculum bimestri.
At dum molliculæ graui catellæ
Partûs imminet hora, mortis hora;
O fatum lacrymabile, atque acerbum!
Enitens minimè leuatur: adstat
Ipse herus velut obstetrix, at acri
Nullâ obsistere vi valet dolori.
Causam sedulus insolentiorem
Tentat antidotis leuare morbi:
Sed hanc nec Podalirius, nec ipse
Leuasset medicæ repertor artis.
Duras è capreis trahit sagittas
Dictamnum: extrahere haud potest tenellos
Fœtus ex vtero? misella tandem
Dat manus cruciatibus. tenebat
Heu quos in dominum sui dolentem,
In mortem refluos dolore ocellos
(Quis non det lacrymas?) supinat, ipso
In puerperio perit catella.
O fatum lacrymabile atque acerbum!

THOMÆ DEMPSTERI.

PEllæus tumulum sonipes, & cerua Maronis,
Et Canis accepit, Cæsareusq́ Leo.
Quidni ergò Musæ sacrent sua busta Catellæ,
Seu proprio Genio, seu domini merito?

EIVSDEM.

VIderat argutæ lusus, & suaue Catellæ
Delicium, à partu quæ Dea nomen habet.
Et secum: Alcides potuit sacrare labores,
Et dare deuictis cælica templa feris.
Cur mihi non liceat dextrâ regione Catellam
Signiferi, aut læuâ parte iubere coli?
Dixit, & vltrici compreßit viscera pænâ:
Accepit cælo sic noua diua locum.

BARTOLOMÆI TORTOLETI.

QVæ iacet his tumuli saxis Aldina catella,
Hæc amor, hæc domini deliciumq́ fuit.
Dum parit, en lacrymæ. mors facta est obuia vitæ,
Quæque dabat vitam, debuit ipsa mori.
Si modò non astris illata micantibus, iras

Coniugio Sirî temperat illa canis.
Spargite fronde locum, bruti ſub imagine brutum
Non fuit. ah peream, ni dolus iſte deûm.
Vxorem formis cùm fallat Iuppiter, vxor
Deprenſum hac voluit fallere fronte Iouem.

FRANCISCI ALEANDRI.

QVòd canis ima triceps cuſtodiat atria Ditis,
Ac ſi tres habeant triſtia regna canes,
Inuidit cælum; aſtriferos ſibi namque per orbes
Adſtabant tantùm Sirius & Procyon.
Hinc rapta Aldina è terris nunc tertia cælo
Emicat æternis addita ſideribus.

EIVSDEM.

COgnatam leti brumam dat Cerberus orbi,
Ignifero æſtatem Sirius ore vomit.
Adſtat in Elyſiis formoſa Aldina viretis,
Spiret vt à vernis tempora verna locis.

EIVSDEM.

VNicus eſt orbi Phœnix pulcherrimus ales;
Vnica & Aldinæ forma decoris erat.
Tempore nec geminos Phœnices viuere eodem,

Nec ſimul Aldinas fas fuit eſſe duas.
Hinc, ſimiles tibi dum pareres, occumbere iuſſa es
Pulchrorum ô Phœnix pulchra catella canum.

ALBERTI VESPASIANI MORI.

Aldinæ epiſtola ad Dominum ſuum.

PErlege Aleander, quamuis ſit reddita ab vmbris
Littera, ab Aldinâ nam tibi miſſa venit.
Quæ rapui pretium cunctis Aldina catella,
Quas Melite, quas & Gallica terra tulit,
Delitiæ illa tuæ, tua ſola Aldina voluptas,
Obſcuris mitto carmina ducta notis.
Omnia quæ ſolait, niſi mors quoque ſoluit amorem,
Perpetuum dixti quem mihi ſæpe fore,
Scis benè quæ ſcribam, ſcis vnde hæc verba mouentur:
Non opus eſt ſignis, ſi tuus extat amor.
At me nulla tui cepêre obliuia, quamuis
Dudum Letheas ore bibamus aquas.
Et domini memini, & ſemper meminiſſe iuuabit,
Si non his iterum ſim moritura locis.
Sed precor, vt Superi dent tutò errare per vmbras,
Nec vitam plus quàm depoſuiſſe ſemel.
Sitque ſatis dulces liquiſſe heu luminis auras,
Et quòd in æternum ſim caritura die.
Sit ſatis & ſocias profugam amiſiſſe cateruas,
Natóſque, & carum deſeruiſſe virum.

Sed memoro toleranda tamen. non vertitur, ah non
Vertitur hîc rebus summa dolenda meis.
Quis tibi me rapuit? quis te mihi sustulit vnquam?
Quis me isto vulsit pectore, dulcis here?
Auget in immensum hæc nostros iactura dolores,
Hoc Erebi damnum grandius esse facit.
Amisi dominum, quem nec mutasse Tonante,
Si radiata mihi præbeat astra, velim.
Non ego maluerim cœli conuexa tenere,
Magnorum aut gremium semper habere deûm,
Dùm possem tibi cara tuis amplexibus vti,
Inq; tuo felix consenuisse sinu.
Si mihi cessissent Iuno, & Cytherea maritos,
Illis te certè præpositura fui.
Nec potiora forent Veneris rara oscula nobis,
Hyblæis quanquàm sint meliora fauis.
Non mens cælicolum illecebras, non ambit amorem,
Hæc sine te nobis vilia cuncta forent.
Non ego de mensâ nutrirer læta deorum,
Nec caperem Phrygiâ pocula læta manu.
Omnia Aleander fueras mihi, me tibi quisquis
Abstulit, Eumenidis sæuior ille fuit.
Tu me nocte tuo recubantem sistere lecto,
Tu solitus mensâ consociare tuâ.
Tu mihi blanditus, ceu mater læta recepto
Nato, vel caro cara puella viro.
Sæpe tuo tenerum percurrens pectine tergus,
Detraxti labem corpore, si qua fuit.
Spongia nunc leuiter læues deducta per artus

Fecit candidulo pectori inesse iubar.
Méque tuum speculum (memini) tuáque astra vocabas,
Me nec Phœbeus clarior orbis erat.
Nunc tereti innectens mihi candida colla sub ostro,
Auribus & figens aurea texta meis.
Tunc tibi sponsa fui thalamos initura recentes,
Túque dabas nobis oscula, nósque tibi.
Nunc superinductâ permulcens tergora palmâ,
Mî tenerum sueras sollicitare latus.
Tunc rosa, tunc violæ tibi flos, niueúmque ligustrum,
Mélque tuum fueram, molliculúsque lepus.
Ah quàm sæpe tuum solitus me dicere cælum,
Maxima sic paruis composuisse soles.
Nam subit, in nostrâ cùm lumina fronte teneres,
Attonitum formá te stupuisse meâ.
Hoc caput ad iustum compactum æqualiter orbem
Cœlestis verax orbis imago fuit.
Phœbúsque & Phœbe, terras qui lumine complent,
In nostris oculis clausus vterque fuit.
Albáque quæ nostram signabat fascia frontem
Non semel illa tibi lactea dicta via est.
Singula quid referam? partes laudanda per omnes
Semper eram, quaquà conspicienda forem.
Omnia mira tibi sunt visa in me: hoc tamen vnum
Cetera præteriit, quòd canis ipsa fui.
Sic ego sæpe tuos percepi callida sensus,
Humanum vt sensum dixeris esse mihi.
Omnia perdidici, nullóque docente magistro
Naturam atque artem vincere docta canis.

Corpora

Corpora si fueram transmittere iussa per orbem,
Atque vnam toties ire redire viam:
Aut si suspensam saltu peruadere virgam,
Flectere seu certis mollia membra rotis:
Non meliùs celeres intra venabula saltus
Dant pardi aut actæ per nemora alta feræ.
Seu more alipedum sinuare volumina crurum
Alterna, & varios conglomerare gradus;
Me Nomadum, & Libyes dicebas vincere virgam,
Atque Pelethronias exuperare feras.
Cruribus arrectam seu me pendere iubebas,
Et patulo pronos appetere ore cibos:
Aut vbi me toties lini reuolubile pondus
Mandasti celeri ferre referre pede:
Cedant, Cyrnæis mihi quæ nascuntur in aruis,
Cedant, quæ nutrit corpora magna Lacon.
Blanda, hilaris, festiua fui, lepidißima, comis:
Hæc nobis princeps gloria, laúsque fuit.
Illecebræ mecum natæ, lusúsque iocíque,
Atque venustates, & decor, atque lepos.
Nec nocitura fui, quanquam persæpe dolerem,
Nunc etiam innocuum nomen habere iuuat.
Me quoque laudarunt, vni quòd nupta marito,
Mille procos habui queis inimica fui.
Inque tuâ dulcis recubans Hieronyme dextrâ,
Gratior illa toris, connubiísque fuit.
Nec satis est cautum nobis, pro coniuge quamuis
Aldina vnius maluit esse viri.
O vtinam semper vixissem cælibe lecto,

F

Et nunquam insanus me tetigisset amor.
Non ego nunc mœstâ deflerem voce querelas,
Nec tibi ab infernis charta veniret aquis.
Credo equidem quicquid duræ neuere Sorores,
Cogitur heu fato quisque subire suo.
Bis mihi natales ierant labentibus annis,
Bísque mihi oratus candidus ire dies.
Bis mihi cognato torreri sidere tellus
Visa est, bis gelidas fundere Ianus aquas:
Cùm tenerum læuo patefeci pectus amori,
Nostráque non notus venit in ossa calor.
Illa dies nunquàm vellem emersisset ab vndis,
Quæ memet culpæ supposítura fuit.
Iámque propinquabant maturi tempora fœtûs,
Quærebam grauidi ponere ventris onus.
Quas non sacratis adolesti altaria donis?
Quis sua non habuit debita thura Deus?
Vt tandem facilè, & nullo discrimine vitæ
Laxarent vterum pondus amórque meum.
Heu quid vana cies, frustráque altaribus hæres?
Non profecturo vomere littus aras.
Ah si non merui præsentia numina habere,
Nec merui faciles in mea vota Deos:
Quid tamen admisi infelix & parua catella?
Crimine quo potui promeruisse necem?
Scilicet id quod obest nobis, non ira Deorum est:
Vna meis tantùm gaudet iniqua malis.
Quid prodest ope multorum tutam esse Deorum,
Si mihi, quàm multi, plus nocet vna, iuuent?

Parce precor Lucina, meos age cerne labores,
Et tandem miseræ quam potes affer opem.
Sic tibi displiceat non vllâ pellice coniux,
Sitque tuus, rutilus dum geret astra polus.
Te decet Herculeos partus onerare periclis,
Aut similes Danaes, Tyndareísque pares.
Sunt tibi cum magnâ certamina gente mouenda,
Et magnis hostem te decet esse viris.
Turpe meo sæuire vtero, quæ magna Deorum
Regina, & coniux diceris esse Iouis.
Non ego priuignos pellex enixa fuissem,
Aut quibus inuideas sidera celsa dari.
Nec qui diruerent altas Carthaginis arces,
Aut tua qui pessum sacra verenda darent.
Pignus, Aleandro quod nos promisimus olim,
Dum soluo, ventrem Diua resolue meum.
Nusquàm exaudimur, nam verba precantia dudum
Præcipites Austri per freta surda ferunt.
Ergo vt procubui sobolem latura gemellam,
In lucem nullo prima labore venit.
Altera at infelix, vt erat iam grandis, eundi
Obstructam meruit repperijsse viam.
Dúmque exire parat, matrísque euadere ab aluo,
Sunt medio in nixu viscera rupta mihi.
Et sese, & miserum fratrem, matrémque necauit.
O lux funeribus commemoranda meis!
Tres vno mihi visa pati sum funere mortes,
Tres animas vnâ fundere visa nece.
Si mala vis morbi succis medicanda fuisset,

F ij

Siue ope Phœbeâ restituenda forem,
Non ego nunc nigras errarem Acherontis ad vndas,
Nec Stygij nautæ pressa carina foret.
Nil herbæ prosunt, nullæque Machaonis artes;
Per ferrum proles vitáque danda fuit.
At, si carminibus manes reuocare sepulchro
Nunc quoque concessum sit, velut antè fuit:
Aut si custodem immanis sopire barathri,
Aut furias dulci conciliare lyrâ:
Me quoque ad ætherei redeuntem luminis oras
Tænarei videant ostia furua specûs.
Tàm pro me tanti cecinerunt dulce Poëtæ,
Et lyra tàm dulces reddidit icta sonos.
Quid non peruincant vates illi AGMINE DVLCI
Aethereis largus queis REDIT *imber aquis?*
Ille chorus vatum mollißima carmina pro me
Dixit, & in nostro largus honore fuit.
Strymonij tàm dulce melos stupuistis olores,
Restitit ad doctos Tibridis vnda modos.
Te quoque Aleander qualem Phlegethontius amnis
Pulsantem audiuit fila canora lyræ?
Non magis obstupuit tunc, cùm Rhodopeiius heros
Quæreret his campis coniugis ora suæ.
Tu socios longè transgressus, pro omnibus vnus
Das cineri lacrymas, das monumenta meo.
Infernæ sensere domus mirabile carmen,
Grata quibus raræ causa quietis erat.
Dulcia nunc iterum ceperunt otia manes:
Visa est à pœnis turba vacare nocens.

Non frustra liquidas captarunt Belides vndas,
Atque suo sedit Sisyphus in lapide.
Pabula nec diræ carpsêre æterna volucres,
Atque Ixioneæ destupuêre rotæ.
Sed nunc haud iterum datur exorare Deûm vim,
Præmia nec cantûs digna referre tui.
Et me squallenti lex ferrea damnat in Orco
Viuere perpetuò, perpetuóque mori.
Non mulcent aures hîc dulcia nomina nostras,
Nec peragunt notos Nina, vel Issa iocos.
Sed Theron, atque Lelaps, Pterelas, cum Pæmene Tygris
(Nomina vix ipso non metuenda sono)
Et ferus Ichnobates, & Pamphagus, atque Melampus,
Et Lagon, & Dorceus, Nebrophonésque ferox,
Et quicunque alij domini maduêre cruore,
Latratu complent tristia regna truci.
Exiguámque vmbram terrent ingentibus vmbris;
Nunquam mî gelido corda timore vacant.
Quinetiam nostros ausus sperare Hymenæos
Cerberus, inuisâ me quoque voce premit.
Interea (functas inter si viuitur vmbras)
Aspice quâ vitam conditione traham.
Et si fata mihi ad lucem renuêre recursum,
Fac viuam scriptis tempus in omne tuis.
Et me consortem natis compone sepulcro,
Et stent marmoreis carmina cæsa notis.
Vos quoque, pro reditu vates qui carmina nostro
Conditis, in mæstas vertite næniolas.

GISMVNDI BOLDONII.

QVæ veni Stygias misella ad vndas
Lucinâ, & Venere, inuidísque fatis
Aldina, vnanimes precor Sodales,
Insigne est quibus humida imbre nubes,
REDIT *quæ* AGMINE *pura* DVLCI *in æquor,*
Cantu, versiculis, leporibúsque
Ferte opem miseræ modò catellæ.
Nam mî bellua Cerberus trifaucis
Latratu triplici ferox minatur,
Et nostras vetat ire nos ad vmbras.
Nunc solam grauis occupat metus me,
Et paruo trepidat sinu tremens cor,
Nam ille est maximus, ast ego tenella.
Quare ô vos teneri precor sodales,
Versus mittite, mittite & lepôres,
Et cantus placidos, precésque blandas,
Queis monstri rabidi ira mulceatur,
Et toto iaceat supinus antro:
Si quid mî egregij lepôris vnquàm,
Si quid blanditiæ fuit, iocive:
Si vobis decori Aleander vnquàm
Herus delicium, decúsque Phœbi,
Cantu, versiculis, leporibúsque
Ferte opem miseræ modò catellæ.

CLAVDII BELVRGERI.

ΟΥΚ ὅπω νέοις καλοῖσι
Μοῦνον φθονεῖ κραταιὴ
Μοῖρ', ἢ κλυτοῖς βροτοῖσι,
Ζώοισιν ἀλλὰ πᾶσιν
Γαῖαν δ' ἐπιπνεῖ, ἕρπει
Καὶ ὅσσ'. ὀλέθρου αἲ αἲ
Δαίμων κακῶς ὄλοιτο
Θηρῶν κάκιστος ἄλλων,
Ποιεῖ ὃς οὐδὲν ὥρας,
Ποιεῖ ἔρωτος οὐδὲν,
Καὶ πίστιος, δίκης τε.
Τοῦ χάρμα Αλεάνδρου
Αλδίνη, ἠδὲ μουσῶν
Φίλτρον κύων τὸ φαίνει.
Ωσπερ τὶ ἢ ἄγαλμα,
Θάμβος δ' ἰδόντας ἔσχεν,
Καὶ δὴ ὅμως ὄλωλε·
Αἲ αἲ σοφοῦ ἄνακτος,
Καὶ παίγνιον, χάρις τε.
Ηβης πάρος τὸ μέτρον,

Η τέρμα μηνὸς ἥκειν.
Ωδῖνα οὐ φέρουσα
Τὴν γαστέρος καὶ πικρὰν,
Ως βλημένη τε δουρί.
Λυγρῷ πέσεν δ' ὀλέθρῳ,
Καὶ ἀζέτῳ πυρὶ ἕλκει,
Οἷον βέλος γυναῖκα
Τίκτουσαν ὀξὺ δύνε.
Τοῖον καὶ τὴν δέδυκε,
Κύκνῳ δέμας δ' ὁμοίαν
Χροιήν τε, καὶ νιφάσι,
Πᾶσιν μεταπρέπουσαν
Κυανὸν, θοοῖς τε θηροίν.
Τὴν τίς ἐοίκοι ἄστρῳ
Λάμπει ἐν ὅττ' ὀλύμπῳ
Η ἡδὺ ἄνθεέν τι
Κάλλος, φρέν' ὅττ' ἰαίνε,
Καὶ οἷα οἱ σέλινα
Χαῖται καλαὶ κέχυντο.
Μέλλουσα, ἀλλ' ὄλωλε
Τέξειν κυοῦσα, αἲ αἲ,
Αἴσῃ δαμεῖσ' ἀώρῳ
Αἶδος βέβηκε δειλή;

Κλαίουσιν ἰὼ κιῶές τε,
Ῥώμη, φίλοι τ' ἔρωτες.
Πᾶσιν δ' ἅδουσα κάλλοις,
Πηδήματός θ' ὑλαγμοῦ,
Αἲ αἲ ὅμως ὄλωλε,
Ἄλγος λιποῦσ' ἄνακτι,
Ποθήμαθαί τε δηρόν.
Ἐλθόντα ὃν νόησεν
Ὀδμῇ χροὸς, ποδοῖιν
Δούπῳ, ἔπει θ' ἕκαστον,
Οὐρῇ τε, καὶ ἔσαινε
Κνύζουσα, γλῶν τε σαίρει.
Ἀργοὺς πόδας τ' ἆρε,
Γήθημα ἡδονῆς τε
Πηδοῦσα, ὡς ἐς αὐλὸν,
Θαυμαστὸν ὅτι χρῆμα
Τοῖσιν βλέπειν μέμηλε,
Ἐλθοῦσα θ', ἣ ἄγωσι
Ταύτην βροτοὶ ἔπηται,
Γαίων ἄναξ φρένας τε,
Ζώου δ' ἰδεῖν τε γαυρόν.

Ἔθνος κυνῶν ἀγασθεὶς
Ἔστ᾽ ὅτι, ἔπος γ᾽ ἐραστής.
Οἷον πόποι γλυκέας
Ζῷον θεοὶ ἔρεζον,
Εἰ ἔνδοθεν γλύοιτο
Οἷ ὧδε φρὴν νοήμων,
Ὡς ἰοῦς ἔνεστι πιστὸς,
Γλώσσῃ λέγοι τε λῷστα·
Ἤδη γ᾽ ᾧ τε, καὶ χρὴ
Ἀληθέας, ᾧ τε καὶ οὐκ.
Δήεισεν οὐδὲ θηρῶν
Τιμῆς ὕπερ τίς αἴ τοι,
Καὶ ὡς ἰδοῦσ᾽ ἄνακτα
Αὐτὴ ὄρουσ᾽ ἐπὶ σῷ,
Μεμνημένη ἐφετμῆς,
Γεραθεῖσά οἱ μέτωπον
Λεπτὸν, κάρα τε καλὸν,
Ὡς νεῦρον οἱ τελμυαθεὶς
Μυῶν, ἀνέστη ὀρθὴ,
Ὑμεῖς, ἔφη, ὁρᾶτε,
Ἡ γυνὴ ὡς ἔλιξε
Παρ κέρκον, εἰς τὲ σταθμὴν,
Ὅταν κρέος παρείη
Τυτθὸν μὲν, ἢ τ ἄλλο,

Τῆς χειρὶ γὰρ παχείῃ
Εδράξατο τρεχούσης
Χαίρων ἄναξ ἄριστος
Μούσαισιν ἐσθλὸς ἀνήρ.
Αἲ αἲ ὅμως ὄλωλε
Μουσῶν κύων ἑταῖρα.
Οἱ Αρτεμίς τοι ὄπασσεν
Αγνὴ μέρον δ᾽ ἄωρον.
Κρείσσων Ομήρου Αργου
Πληροῦν ἔτη γε πολλά,
Στηείχθαι ἄλλος οὔτε
Η ἐν κύων ὀλύμπῳ,
Εσθλὸν κλέος τ᾽ ἀκούειν.

Κλ. Βελουργίελος Κέλτης ἐποίει φιλτάτῳ ἀνδρὶ
Ιερωνύμῳ Αλεξάνδρῳ συνθρίωων.

Laur. Pignorij.

HOSPES

ALDINA CATELLA HEIC SITA SVM,

ET MECVM VNA,

QVID NI DOMINO MEO CREDAM?

GRATIÆ VENERES AMORES.

EGO SANE

HISCE OMNIBVS PRÆTVLI SEMPER

CARITATEM ET FIDEM,

QVAS SAT SCIO

NVLLA VNQVAM TERRA OBRVET.

ABI HOSPES

ET HÆC PAVCA DOMINO MEO,

ALDINA TVO CARMINE VMBRA NOBILIS

TE SALVTAT.

Eiuſdem.

VIATOR
NI GRAVE EST
IVBE HAVERE ET VALERE
SCITISSIMOS MANES
ALDINÆ CATELLÆ,
CVIVS GENIO CESSERAT
QVIDQVID VSPIAM ERAT FIDEI CHARITATIS
HILARITATIS.
ILLAM LVCINA TENEBRIS ORCINIS
DAMNAVIT,
QVÆ FVLGENS ASTRVM CÆLO INSERI
ERIGONES PEDISSEQVA MERVERAT.
O FACTVM MALE!
MALE TIBI SIT MALA LVCINA QVÆ
TAM BONAM CATELLAM PERDIDISTI.
BENE TIBI SIT BONE VIATOR QVI TAM
GRANDE NEFAS NON SINE LACHRYMIS
PERLEGISTI.
ABI AMICE SI PLACET,
ET CARITATEM FIDEMQVE SI QVAS HABES
EIVRA.
VIRTVTVM VT VIDES INVIDIA ET

Mart. Sandelij.

QVÆRIS HOSPES
QVID rei ſub tam exiguo tumulo conditum ſit?
accipe paucis.
Aldina heic ſita eſt
bella catella
candidula rufula blandula,
cuius dulces latratus
ne luſciniæ quidem cantus æquaſſet.
cuius teneris morſibus
vel ipſa ceſſiſſent ſuauiora ſuauia.
cuius miros ac multiplices luſus
nulla expreſſiſſet ars,
nulla explicuiſſet facundia.
mortis genus noſſe vis?
ex partu perijt, & cum ea proles,
ne ſimile natura faceret amplius.
abi hoſpes,
& ni illacrymas, hominem te dicam?
an pumicem?

Eiuſdem.

VIATOR
NE MIRERIS VRNVLÆ BREVITATEM.
ILLA QVÆ heic tegitur multo breuior fuit
Aldina
Melitæa & mellita catella
forma & fide nulli ſecunda.
domini ſui
olim oſcula & deliciæ
nunc mœror & lacrymæ.
vis ne plura?
peccem ſi longior ſim.
ſummi elogij hæc ſumma ſit,
Hieronymi Aleandri
fuit.